O R A T I O

DE MAXIMO FELICITATIS INCREMENTO, QUOD BELGICI CIVES A NOVO LEGUM CODICE JURE SPERARE POSSINT.

JANI RICHARDI DE BRUEYS

ORATIO

DE MAXIMO FELICITATIS INCREMENTO, QUOD BELGICI CIVES A NOVO LEGUM CODICE JURE SPERARE POSSINT.

DICTA PUBLICE

Die XVIII. *Januarii* MDCCCXVI.

QUUM ORDINARIAM JURIS PROFESSIONEM IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA SOLEMNITER AUSPICARETUR.

TRAJECTI AD RHENUM,
Ex Officinis OTTON. JOANN. VAN PADDENBURG
ET J. VAN SCHOONHOVEN,
ACADEMIAE TYPOGRAPHORUM.

❁ ❁ ❁

Academiae Rheno-Trajectinae Curatores, Viri Amplissimi, Gravissimi!

Qui in Regno Belgico, in Regione et in Urbe Trajectina, vel rebus publicis administrandis, vel justitiae tuendae praeestis, Viri Spectatissimi, Integerrimi!

Magnifice Academiae Rector!

Divinarum humanarumque doctrinarum Professores Clarissimi!

Qui sacris publicis praeestis, Viri Fidelissimi!

Omnium artium Doctores Eruditissimi!

Ornatisſima Juventutis Academicae concio, patriae ſpes, nostra cura!

Cives, Hospites, Auditores, quotquot adestis, Exoptatisſimi!

Quicumque generis humani historiam contemplans, animum ad rerum et temporum mutationes vicisſitudinesque advertit, hic non ſolum continuam causſarum effectuumque ſeriem videbit, verum etiam intelliget, ſumma Dei ſapientia et benignitate, praeſentibus ita adjuncta esſe et velut implicita futura, ut illa, in quae vel aliena vel ſua ipſorum dementia et perverſitate homines et populi inciderunt, mala miſeriaeque tandem, ubi nulla ſpes ſalutis ſuperesſe videtur, ipſa ſibi medicinam afferant, quin et plurimum ſaepe valeant ad feliciorem temporum inclinationem.

Etenim omnium, quotquot vel fuerunt vel ſunt,

ſunt, populorum historiae id ipſum, quod dixi, luculenter probant. Verum quid redeamus in ſuperiorum temporum memoriam? omnes profecto, quarum mentio ad nos pervenit, ſive eventuum magnitudinem ſpectes, ſive benignam ipſorum vim conſideres, rerum mutationes et converſiones multum cedere debent illis, quas nos Belgae vidimus, ſenſimus, quarum et pars fuimus.

Verum enim vero A. A. H. H. tristem istam calamitatum ſeriem, quibus penitus ita oppresſa jacuit patria, ut et ipſum nomen, antiquum illud non tantum, ſed et per totam Europam honoratisſimum, amiſerit, laeto hoc die reſenſere equidem nolim. Quid ſit ſervire tyranno, cujus oracula legum, fulmina justarum poenarum locum teneant, nimis didicimus. Itaque mentes vestras a tetro hoc ſpectaculo avocans, id ipſum e vobis quaero A. A. nonne miſerrima ista, quae viximus tempora, etiam complurium bonorum cauſſas nobis attulerint? Ec-

quis vestrum enim diffitebitur, vexationes, direptiones, latrocinia, injuriasque, quae perpesſi ſunt Europae populi, languentem illum antea, quin et paene extinctum patriae amorem in ipſorum animis auxisſe et confirmasſe ad pristinam libertatem recuperandam, recuperatam vero ac denuo in discrimen adductam, defendendam et ſtabiliendam.

Neminem deinde vestrum negaturum confido A. A. eâdem illâ foras prorumpente inſania, quae jura ſanctisſima disſolvit, quaeque ipſam adeo ſocietatem civilem labefactavit ac paene convulſit, ſimul et hoc effectum esſe, ut errores, ſuperſtitiones, quin et triſtes barborum ſeculorum reliquiae quamplurimae abolerentur.

Quis porro ſine ſumma voluptate vidit potentisſimos Europae Principes non fucato, ſed etiam inter res dubias valde ſpectato, foedere amicitiae conjunctos: cui ipſum, quo in omnia Imperia legitima ferebatur tyrannus, pestiferum odium causſam occaſionemque dederat. Hoc, in-

quam,

quam, est ipſum illud foedus, quod futura ſecula admirari nunquam deſinent, quo non vana quaedam gloria lacrymis et ſanguine humano care nimis acquiſita, ſed populorum ſalus justâ, tutâ ac tranquillâ pace fuit ſtabilita. Quis vestrum, ut hoc ſolo utar exemplo, non ſummo ſe ſentiet perfundi gaudio, ubi non externa tantum commoda, ſed et jura homini carisſima, hisce Principibus adeo curae cordique esſe videat, ut flagitioſisſimam istam, qua populi, iique Christiani nominis illius honorem diutisſime commacularunt, mercaturam hominum in perpetuum abrogaverint. Quo quidem beneficio, haud ſcio, an nullum majus in totum genus nostrum conferri posſit.

Verum enim A. A. ſi haec omnia, quamvis memoratu valde jucunda, nunc fuſius perſequi velim, ab eo, quod mihi propoſui conſilio, longius aberrabit oratio. Ut igitur ad illud ipſum, quod praeſentis inſtituti est, mentes vestras convertam, e vobis quaero A. A. nonne per eandem

ipſam, quatot nobis carisſima everſa fuerunt ac deleta, rerum perturbationem ſimul remota jam nunc fuerint innumera, eaque maxima, quae olim Legum nostrarum, ſive promulgatarum ſive non ſcriptarum, emendationi obſtarent impedimenta, ita ut tota patria a ſaevisſima ſervituta liberata, in pristinam dignitatem restituta, quin et amplificata, nunc etiam felicius ornari posſit ac ſtabiliri legibus, quae univerſae Belgicae et communes ſint et conſentaneae.

Quoniam hoc praeclarum bonum, justa ſpe erecti, expectamus et a benignisſimi Regis ſapientia et a ſolerti cura virorum, cum omnium doctrinarum notitia, tum uſu rerum edoctorum, quibus harum legum concipiendarum partes demandatae ſunt: equidem nec a perſona mea, nec ab eo, quod auſpicor munere, nec etiam ab hoc tempore alienum existimavi, ſi id ipſum argumentum coram vobis perſequens, breviter dicam

De

De maximo felicitatis incremento, quod Belgici Cives a novo Legum Codice jure sperare posſint.

Vos autem A. A. H. H. etiam atque etiam rogo, ut benevolas mihi aures praebere, atque tenuitatis ſuae conſcientia imbutum animum benigne erigere et confirmare velitis.

Sicuti omnes Germanicae originis populi, per plurima ſecula, molestisſimo laborarunt diverſorum ac nulla ratione inter ſe cohaerentiam jurium et morum, a ſumma ſaepe barbarie profectorum, cumulo, ita praeſertim malis inde manantibus obnoxia diu manſit haec nostra patria. Etenim ibi ad nostram usque aetatem antiquum locum tenuerunt valde diverſa, immo ſaepius inter ſe maxime discrepantia jura: tot nempe, quot esſent jure ſummi Imperii conſpicuae Regiones, quin etiam, quot esſent urbes, quot oppida, quot tandem municipia.

 Ne-

Neque tamen ſumma iſta juris ſive perturbatio ſive inaequalitas magnam admirationem iis movebit, qui ſuperiorum ſeculorum hiſtoriam animo recolere conſueverunt. Quippe Gothi, Vandali, Longobardi, Franci ceterique populi, quos borealis Europae plaga in auſtralem effudit, poſtquam imperium Romanum in multas partes diſcerpſerant atque ſubegerant, ipſi quidem ſuos mores ſuasque leges ſervarunt, victis autem, noſtri ſcilicet aevi tyranno longe humaniores et prudentiores, jure moribusque patriis vivere permiſerunt. Eandem viam ſecuti ſunt Calorus Magnus ejusque ſucceſſores, Romanas, Longobardicas aliarumve devictarum gentium leges in *Capitularibus* ſuis, ſic enim vocabantur, comprobantes.

Huic autem legum valde inter ſe diſcrepantium acervo, cum poſtea acceſſiſſent Jus Juſtinianeum, Decreta Pontificum et Jus Feudale mirifice haec aucta fuit confuſio, adeo ut ipſa Juſtitiae adminiſtratio, quae cum legum ſtabili-

li-

litate est conjunctisſima, tristibus illis, quae medii aevi nomine dicuntur, temporibus penitus vacillaret et languesceret.

Felicior jam eorum, quae ſubſecuta fuerunt, temporum mutatio non levem huic malo medicinam attulit, cujus quidem benignam vim praeſertim experta fuit ipſa nostra patria, post asſertam a majoribus libertatem, ita brevi inclarescens, ut, meo quidem judicio, nullus alter inter Europae populos, incorruptisſimae fidei ac multiplicis ſcientiae laude cumulatiores efſuderit ICtos, quam ipſa illa arctis finibus terminata Batavorum Respublica. Eccui, quaeſo, ut nostros aequales praetermittam, hic non ſuccurrunt nomina Schultingii, Noodtii, Voetii, Bynkershoeckii, Noordkerkii, Huberorum, Voordarum, qui velut alteri Scaevolae jurisprudentiam tanquam hereditariam habuerunt? Sed eccui inter tales tantosque viros omnium primus non occurrit Hugo Grotius, ſapientisſimus ille atque unicus ſcientiae Divinae et humanae antistes?

Ta-

Tametsi vero A. A. sic factum sit, ut gravissimis incommodis ex legum diversitate, in civitate mercaturae studiosâ inprimis, oriundis haud exigua extiterit medela, tamen, non sublata mali caussa, neque omnes effectus civium felicitati insidiantes è medio tolli potuerunt. Quid memorem gravissimas difficultates e conflictu Statutorum, quae dicebantur, natas? Quid omnigenas fraudes atque circumventiones, non incautis solummodo, sed et peritioribus structas, utpote quibus extra locum domicilii de jure respondere res esset aleae plena? Quid denique recorder innumeras lites de jurisdictione, de territorio, de privilegiis cujusque regionis aut etiam oppidi, in ipso limine judicii naufragium minatas iis, qui Themidis periculum facerent?

Neque magis in criminum coercitione certa sibi constabat Majorum jurisprudentia pro ratione loci interdum, non facinoris, diversa, quae quidem tanta nonnunquam erat diversitas, ut

in altero loco capitale haberetur facinus, quod in altero longe mitius coerceretur. Atque ita ejusdem imperii civis, quamvis in eadem patriae regione manens, si in hac rivuli parte delinqueret, graviori, si in illa, leviori poena dignus haberetur.

Quantis subinde difficultatibus propter haec omnia laboravit Juris nostri Civilis studium? Deërant enim certa quaedam principia unde universum Juris systema deduceretur. Sic igitur etiam factum, ut juvenes splendido Juris utriusque Doctoris titulo in Academiis honorati, quamvis et Naturalium et Romanarum Legum scientia aliquando satis valerent, domum tamen reversi, velut in alium orbem translati sibi viderentur, rerumque forensium tam rudes deprehenderentur, ut quotidie leguleum quendam rabulamve forensem, tanquam sanctum aliquod oraculum, cogerentur consulere.

Quoniam igitur tanta, quanta memoravi, cum isto jurium diversorum cumulo conjuncta erant, in-

incommoda, non est profecto, quod miremur, jus aliquod aequabile atque commune ab ipsis majoribus nostris ardenter fuisse optatum.

Verum enim vero A. A. cum et summa quaedam antiquitatis reverentia omne novitatis studium a jurisprudentia arcere pergeret; et firma esset plerorumque persuasio, quasi legibus statutariis ac privilegiis, quae dicebantur, libertatis avitae Palladium contineretur; denique et ipsa Reipublicae forma legum emendationi maximam afferret difficultatem, omnia haec effecerunt, ut illud ipsum bonum juris certi atque omnibus aequi nostrae demum aetati servatum fuisse videatur.

Quamvis enim regnante eo, qui Regis umbram nobis exhibuit, Tyranni fratre, abrogatis legibus patriae ac jure Romano, jus aliquod commune nobis datum fuerit; neque nos laudibus eximiorum virorum, qui ad jus illud disponendum delegati fuerunt, aliquid detractum velimus; constat tamen, id jus magnam partem

tem non vere Hollandum aut Batavum, ſed magis Francicum fuisſe. Quod quidem Jus Francicum, oppresſa penitus patria, quin et ipſo patriae nomine, mox locum et vim habere coepit, ac nobis commune fuit cum omnibus devictis miſerisque Europae populis, quos armorum vis in ſuperbam Tyranni redegerat dominationem. O utinam autem tale jus commune, ſaevae ſervitutis indicium, nunquam habuisſemus!

Felicem igitur liceat praedicare illum diem, quo tandem nobis continget uti non jure illo ita communi, ut ſtatim dixi, ſed jure communi Belgico, attamen ſolis Belgis proprio.

Si jam porro verum ſit illud ipſum, de quo prudentior vix dubitaverit, juris ejusdem communionem plurimum posſe valere, ut ejusdem Imperii incolae in unum populum vere coalesſcant, videte mecum A. A., quantum publicae felicitatis incrementum inde etiam ſperare liceat, quod omnes, qui eodem jam tenentur Imperio, non ſolum civili verum etiam fraterno jungantur vinculo.

Vi-

Intelligitis A. A. quae quantaque felicitas ex jure illo, quod laudabam, communi in totam Civitatem fit redundatura. Sinatis vero, ut idem illud, quod tractavi argumentum, paucis adhuc urgere pergam. Itaque mecum confideretis, velim, quantopere etiam inde fefe commendet illud jus, quod futurum fit jus vere patrium, jus dico e moribus avitis defumtum.

Omnes fenfimus et experiundo didicimus, quam triste fit, alienis et ad mores populi non accommodatis vivere legibus. Qualia, quaefo, quantaque damna propter leges mercaturae non tantnm damnofas, verum eam penitus vastantes, fenfit nostra patria, per folam illam fere mercaturam ad fummum prosperitatis fastigium olim evecta, et brevi, ut confidimus, rurfus adfcenfura, fublatâ peste fystematis *continentialis*; quo barbaro nomine barbara res folebat fignificari? Quid autem a tyranno, eoque homine peregrino, bonas leges civiles fperet populos? Immo vero et nostrae patriae et tot aliarum nationum

do-

domitor, probe ſibi conſcius, quantum ad conſervandam libertatis avitae memoriam valeant leges conſuetudinesque patriae, quo facilius vi et armis fundatum imperium ſtabiliret, iis, quas ſub ſervitutis jugum redegerat, nationibus patriae jura ademit, peregrina obſtruſit. Ecquis igitur egregiam nostram fortunam non laudet, qui a Regis ſapientia expectamus leges vere patrias, ad mores patrios, compoſitas vel etiam inde repetitas. Quid aliud praeterea magis valebit, ſive ad alendum, ſive etiam ad augendum et confirmandum ſanctum illum patriae amorem, quo cives impellantur, ut pro illa patria, jam vere ſua, nullos labores, nulla ſubterfugiant pericula.

Ad hanc deinde novi jurium Codicis laetisſimam ſpem civis bonus non parum gaudebit, expectans leges, non tantum e moribus antiquis patriae deſumtas, verum etiam iis, quae vivimus, temporibus, nostrae culturae nostraeque humanitati conſentaneas. Etenim A. A. ubi cauſſas proce-

cedentis humanitatis accuratius exploramus, semper videmus, sapientiam hominum privatorum ipsarum legum emendationem praecessisse. Quid enim? hominum multitudo, teste antiqui pariter ac recentioris aevi historia, erroribus, superstitionibus sive sacris, sive civilibus, sive etiam domesticis solet esse imbuta atque corrupta. Jam vero magna ista vis opinionum et errorum popularium per solam legum severitatem nunquam potuit tolli. Itaque instituta a majoribus accepta, etsi seculo praesenti sint indigna, diu tamen locum et auctoritatem, velut palladium e coelo lapsum, inter populos solent servare. Exemplum jurisprudentiae Romanae hic mihi in vestram memoriam revocare liceat. Horridum istud et saepe valde barbarum Jus Regium vel XII. Tabb. populi minus exculti infantiam passim redolent. Attamen antiqua illa et propter vetustatis reverentiam velut consecrata jura non tantum extremis Reipublicae temporibus, verum etiam post dominationem Caesarum jam diu confirmatam,

man-

manserunt. Florente Republica, Leges proprie sic dictae in Comitiis, centuriatis inprimis, rarius ferebantur. Qui igitur fuerunt Juris illius Romani sive custodes sive etiam emendatores aut antistites? Praetores fuerunt, jus strictum, rigidum, antiquum cum aequitate et moribus magis emollitis in concordiam aliquam redigentes, nova rerum vocabula invenientes, atque sic legibus vetustis contrariam consuetudinem substituentes. Fuit igitur Jus illud Praetorium, omnium prudentiorum consensu, insigne aliquod sapientiae civilis documentum, quod etiam ipsam historiam procedentis humanitatis atque culturae Romanae in se contineat.

Sed forte magis placebit exemplum ex ipsis nostris legibus earumque historia desumtum. Tale autem, et quidem luculentissimum, praebebunt jura criminum atque poenarum. Ubi nempe intuemur legum illarum Codices, apud omnes fere Germanicae originis nationes in usum deductos, passim videbimus, temporum

il-

illorum ſapientes, legumque ſive auctores ſive interpretes veram poenarum vim atque menſuram vulgo ignorasſe. Itaque pesſimam juſtitiae administrationem poenarum acerbitate corrigère voluerunt: adeoque Draconis more levibus non minus quam atrocisſimis criminibus poenas praeſcripſerunt capitales, nec tantum capitales, verum etiam crudelisſimas, quaſi notum illud Caligulae, *ita feri, ut ſeſe mori ſentiat*, uſu actuque ſtuduisſent comprobare.

Tametſi vero lumen, vel inter alias Europae gentes, vel inprimis in patria nostra exoriens, ſpem feliciorum temporum jam pridem attulerit, multum tamen abfuit, ut disſipatis barbariei pristinae tenebris, jura illa ſive acerba, ſive etiam propter alias rationes praeſenti aetati non accommodata, e foris et judiciis protinus fuerint ſublata. Hoc igitur opus, hic labor erat, ut humaniora tempora vetera mala vel removerent vel ſaltem lenirent. Itaque et nos nostros, ut ita dicam, praetores habuimus, qui ſive per lenio-

rem

rem legum interpretationem, ſive etiam accommodationem, ad ſuam aetatem tacite eas aptarent.

Neque tamen A. A. exemplis vobis ſtudebo probare, inveterata iſta, quae notavi, mala per ſolam legum interpretationem aut fori uſum vinci aut tolli minime potuiſſe. Quam bene igitur nobiscum agetur, qui, remotis illis, quae, ne leges vetustae abrogarentur, olim obſtarent, impedimentis, brevi gaudebimus jure, in quo omnis reverentia antiquitatis non quidem praetermiſſa, attamen cum hisce noſtris temporibus concordans appareat.

Tandem ad aliud, idque valde praeclarum bonum, quod temporum felicitas nobis ſpondet, mea properat oratio: innuo Codices legum non ad normam quandam cerebrinae philoſophiae, vel ad opiniones in pulvere et umbra conceptas, ſed ad praecepta verae ſapientiae civilis uſu rerum confirmatae, tanquam ad lydium lapidem exactos. Et hanc, quam dixi, philoſophiam ve-

veram non ſimulatam collustrabit et moderabitur Jus illud, quod non opinione ſed natura conſtitutum est, quod ſemper fuit, ſemperque quamdiu homines erunt, manebit: a quo denique ſi lex civilis aberret, ab ipſa ſimul humana natura aberret, necesſe ſit. Quid igitur mirum, tyrannos in eo ſemper fuisſe, ut ſtudium Juris Naturae et Gentium, tanquam libertatis amicum, opprimerent, illudque e numero disciplinarum in Scholis et Academiis docendarum eximerent. Nonne ipſi haec omnia vidimus, experti fuimus? Ipſum illud jugum barbarae ignorantiae, quod devictis Europae gentibus impoſuerat tyrannus, gravisſimum inprimis erat populo libero, qui ſane pristinae libertatis memoriam minime depoſuerat. Niſi autem benigna Dei providentia malum praeſentisſimum avertisſet, denſae tenebrae extinctam lucem brevi fuisſent conſecuturae, et ſic ſuperiorum ſeculorum barbarie nos pasſim ſenſisſemus immerſos.

O Felices itaque Belgas! meliora haec tem-

po-

pora viventes; viventes imperio Principis omnis politioris culturae Fautoris atque Patroni, qui amplissimum scientiae Divinae atque humanae campum, ad publicam civium institutionem, Decretis Academicis egregie proposuit, restitutâ inprimis disciplina Juris Naturae et Gentium, omnis liberalis Jurisprudentiae fontis. O Felicem patriam! cui fas est, ab hisce primordiis expectare leges civiles ad ipsum illud Jus Naturale compositas, ipso illo aeterno atque unico juris humani fundamento innixas.

Quid igitur aliud superest A. A. nisi sincera facere vota, ut brevi illucescat laetus ille dies, quo leges, tanta sapientia atque utilitate sese commendaturae, in lucem prodeant, utque inde eximium Belgicis Civibus felicitatis incrementum, novumque huic Imperio ornamentum accedat.

Et

Et ſic quidem cauſſa mea, quantum per hujus horae brevitatem licuit, perorata; ad ea, quae ſunt hujus diei, cum nunc mea pervenerit oratio, et multis et diverſisſimis animi affectionibus me commotum ſentio. Ubi enim urbem, quam reliqui, quaeque mihi et laeta ibi acciderunt et tristia, ubi amicos, a quorum latere mihi discedendum fuit, complures et integerrimos cogito, toto pectore me conturbari, fateor A. A. Ubi deinde in animo meo verſatur maxima a meritis majorum huic Academiae parta gloria; ubi denique in illum, qui nunc ipſam ornant, intueor virorum ordinem, et ſimul oneris ſuſcepti magnitudinem cum virium mearum tenuitate comparo, hisce omnibus etiam me maxime commoveri atque percelli, nullus diffiteor.

Attamen non deſunt, quae me animum despondere vetent, quin et ſpe meliori me esſe jubeant. Quid enim laetius, quid optatius potuisſet mihi contingere, quam redire in urbem, ſuavisſimis juventutis recordationibus mihi caram,

dul-

dulcisſimis cognationis, affinitatis, amicitiae neceſſitudinibus cariſſimam, atque etiam ita honoratum redire, ut Auguſtisſimi Regis munificentia amplisſima Juris docendi Provincia mihi delata ſit in hac ipſa Academia, cujus alumnus ſum, cui ſoli omnia me debere, lubens profiteor. Maxima praeterea erigor blandaque ſpe, fore, ut eadem Curatorum benevolentia, idem Collegarum amor, eadem Studioſorum gratia, eadem denique omnium indulgentia, quae mihi ſtationem Daventrienſem reddiderunt jucundisſimam, hanc quoque non minus reddant jucundam. Haec igitur quo magis mihi conciliem, me jam ad Vos converto, Amplisſimi Academiae Rheno-Trajectinae Curatores! Vos vero dum alloquor, Viri Gravisſimi! non poteſt non menti obverſari eximia, quae hanc beavit fortuna Academiam, quam ex acerbisſimo periculo interitus, cui ipſam deſtinaverat ſaevisſimae tyrannidos peſtis, eripuit, neque ſolummodo eripuit, ſed deinde etiam amplificavit, Guilielmus Primus Rex Benignisſimus, reſtitutam vero amplificatamque

tan-

tanto etiam profecutus est ftudio, ut res ejus moderandas detulerit Viris, dignitate, prudentia, virtute et infigni literarum amore inter omnes confpicuis; Vos igitur, Viri Amplisfimi, ut me quoque vestro complectamini ac fustenteris favore ea, qua par est, obfervantia etiam atque etiam velim rogatos. Ego nihil prius habebo, nihil antiquius, quam pro vestra in me benevolentia grati animi testimonium perfolvere. Quodnam autem aliud grati animi testimonium melius ac vobis acceptius perfolvam, quam omnibus viribus eniti et elaborare, ne ipfo illo, quo Regis munificentia me collocavit loco, prorfus indignus deprehendar? Quod reliquum est, faxit Deus Optimus Maximus, ut vestris fub auspiciis haec nostra Academia magis magisque floreat, ut laetiores in dies fructus percipiatis ex utilisfimis conatibus, quibus communi bono confulitis, ut Vobis Vestrisque omnia bene feliciterque cedant.

Ad vos nunc me converto, hujus Academiae

Pro-

Professores Clarissimi; discipulum quondam tuum Rossine, Collegam olim in Illustri Daventriensium Athenaeo Paravi, eruditionem, ingenium et merita vestra agnoscentem, venerantem Vos omnes novum laborum socium accipitis. Tanta autem in amicitiae vestrae societatem me recepistis humanitate, ut, si me huic vestrae amicitiae ambitiose commendare nunc vellem, vestro candori diffidere summo jure viderer. Itaque hoc solum a vobis enixe peto, Collegae conjunctissimi, ut porro benevolentia vestra me prosequi, doctrina, consilio, prudentia me juvare velitis. Ego vos, quibuscunque potero, modis demereri conabor, neque committam, ut unquam in me desideretis sive amicitiae officia, sive eam, quam vel aetas vestra, vel doctrina a me postulant, observantiam. Uti vero arctiore tecum consocior studiorum vinculo bonarum literarum, jurisque consultissime Arntseni, ita a dulci tuo ac sapienti consortio summam voluptatem, fructumque saluberrimum mihi

hi promitto, nec levi opinione ductum id mihi me promittere, egregia tua erga me humanitas dubitare non finit. Quod in me est, non patiar, ut te unquam tam benigni de me judicii poeniteat.

O Utinam! etiam te praesentem compellare posſim, qui propter causſam ſonticam ab hoc loco abes, Clarisſime Rhoeri. Neque tamen ſummum tuum ingenium, praeclaram et elegantem doctrinam, denique innumera in hanc Academiam merita, justis laudibus efferre velim. Scio equidem, te meo non egere praeconio. Sanctisſimum pietatis officium jubet, pro tuis in me collatis beneficiis gratisſimum meum animum et amorem ſolemni hoc die tibi profiteri. Si quid enim habeam, quantulumcunque id ſit, id a te profectum est, Optime Praeceptor atque Patrone, et quod Juris Cathedra, quod hoc ipſo loco indignus viſus non fuerim, id omne tuum est. Non posſum igitur, quin, te licet abſente, grati animi et amoris

tes-

testimonium palam et coram omnibus edam. Ceterum Deum Optimum Maximum precor et imploro, ut et meo et Academiae et patriae insigni commodo te diu integrum incolumemque servet.

Vos ego denique compello hujus Academiae Cives Ornatissimi. Vos inprimis, qui Jurisprudentiae operam navatis, Comilitones carissimi. Vestris inservire utilitatibus, egregios vestros conatus adjuvare, omni virium contentione id agere, ut me studiorum vestrorum adjutorem et fautorem agnoscatis atque amicum, gravissima mihi semper erit cura.

In vobis autem, qualicunque disciplinae ad dictis, generosi Juvenes, in vobis, inquam, sita est patriae reviviscentis spes; neque frustra in rebus dubiis vos respexisse patriam, marmor et vexillum, vestrae virtutis monimenta, testantur et testabuntur futuris seculis. Nunc autem, vindicata patria, pace stabilita, iis, quae vos tenent, quaeque vitae generis, quod delegistis,

pro-

propria ſunt, officiis religioſe fungi pergatis, atque ita vobis ipſi erigatis monimentum aere marmoreque perennius; ita ergo Imperii Belgici decus tueamini, augeatis, amplificetis.

Quod ſuperest, faxit Supremus rerum omnium Gubernator, ut Imperium hoc ſit firmum, florens ac ſtabile, ut Carisſimo nobis Regi Gulielmo Primo contingat, populo, cujus ſalutem fundaverit, ſtabiliverit, diutisſime interesſe, ut, post relictas res humanas, in natis ejus, natorumque natis, atque ex illis nascituris Optimi Regis effigiem et exemplum videat, colat, veneretur felicisſima gratisſimaque posteritas.

D I X I.